

Quos infirmos supra, eos hic peccatores appellauit. Item in consequentibus hoc idem alijs uerbis uersans. Si enim cum inimici essemus, inquit, reconciliati sumus deo per mortem filij eius. Ac per hoc in eo quod dictum est: Multiplicatae sunt infirmitates eorum, intelliguntur multiplicata peccata eorum. Lex enim subintrauit, ut abundaret delictum. Sed quoniam ubi abundauit delictum, superabundauit gratia, ideo postea accelerauerunt. Non enim uenit ille uocare iustos, sed peccatores, quia non est opus sanis medicus, sed aegrotantibus, quorum scilicet multiplicatae sunt infirmitates, ut eis sanandis esset necessaria tanta gratiae medicina, & cui dimittuntur peccata multa diligeret multum. Hoc cinis uaccae & aspersio sanguinis, & cruentarum multiplicatio uictimarum significabat, non efficiebat. Ideo deinceps dicit: Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus, id est illorum sacrificiorum, quae immolabantur in figura sanguinis Christi. Nec memor ero nominum eorum per labia mea.

*Ephc. 5* Nomina quippe illorum erant in multiplicatione infirmitatum: Fornicatores, idolis serui-  
entes, adulteri, molles, masculorum concubitores, fures, auari, raptores, ebrioli, maledici, &  
quicumque alij regnum dei non possidebunt. Sed ubi abundante peccato, superabundauit  
gratia, postea accelerauerunt. Haec quidem fuerunt, sed abluti sunt, sed sanctificati sunt, sed  
iustificati sunt in nomine domini nostri Iesu Christi, & in spiritu dei nostri. Ideo non me-  
mor erit nominum illorum per labia sua. Sanè codices emendatioris & electioris autorita-  
tis, non habent uoluntates suas, sed uoluntates meas, quod tantundem ualet, quia ex per-  
sona filij dei dicitur. Ipse quippe loquitur, quem uerba illa euidenter ostendunt, quibus &  
apostoli usi sunt: Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum ui-  
dere corruptionem. Eadem sunt utique munera gratiae patris & filij & spiritus sancti. Et ideo  
rectissime & filius eas potest dicere uoluntates suas. Quod uero in psalmo lviij. de Iudaeis  
intelligitur, dicente: Ne occideris eos, ne quando obliuiscantur legis tuae, conuenienter mihi  
uidetur intelligi ita esse praenunciatum, eandem gentem etiam debellatam atque subuer-  
sam, in populi uictoris superstitiones non fuisse cessuram, sed in ueteri lege mansuram, ut  
apud eam esset testimonium scripturarum toto orbe terrarum, unde ecclesia fuerat euocan-  
da. Nullo enim euidentiore documento ostenditur gentibus, quod saluberrime aduertitur,  
non inopinatum & repentinum aliquid institutum spiritu praesumptionis humanae, ut  
Christi nomen in spe salutis aeternae tanta autoritate praepolleat, sed olim fuisse propheta-  
tum atque conscriptum. Nam ipsa prophetia quid aliud nisi à nostris putaretur esse confi-  
cta, si non de inimicorum codicibus probaretur? Ideo ne occideris eos, ne ipsius gentis no-  
men extinxis, ne quando obliuiscantur legis tuae. Quod utique fieret, si ritus & sacra genti-  
lium colere compulsi penitus quaecumque nomen religionis suae minime retinerent. Quod  
in eorum figura etiam de Cain scriptum est, quod constituit in eo dominus signum, ne quis  
occideret eum. Denique cum dixisset: Ne occideris eos, ne quando obliuiscantur legis tuae,  
uelut quaereretur quid de illis esset faciendum, ut in aliquos usus testimonij ueritatis non oc-  
cidantur, id est non consumantur, neque obliuiscantur legis dei, continuo subiunxit: Disperge il-  
los in uirtute tua. Si enim in uno loco essent terrarum, non adiuuaret testimonio praedicationis  
euangelij, quae fructificat toto orbe terrarum. Ideo disperge illos in uirtute tua, ut eius  
ipsius, cuius fuerunt negatores, persecutores, interfectores, ubique sint testes per ipsam legem,  
quam non obliuiscantur, in qua est ille prophetatus quem non sequuntur. Neque enim eis aliquid  
prodest, quod eam non obliuiscantur. Aliud est enim legem dei habere in memoria, aliud in intelle-  
ctu & effectu. In lx. autem vij. psal. quod quaeris quid sit, Veruntamen deus conuassabit capita  
inimicorum suorum, uerticem capilli perambulantiu in delictis suis, non mihi uidetur aliud dictum,  
quod deus conuassabit capita inimicorum suorum nimium superbientium, nimium se extollen-  
tiam in delictis suis. Per hyperbole quippe significauit superbiam, tantum se extollentem, &  
tanta elatione incedentem, quasi capilli uerticem perambulando calcaret. Item in eodem psal. quod  
scriptum est: Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso, non semper in malo accipiendi sunt canes.

Alioquin

*Nostri contra  
habent αβγδ.*

*Act. 2.*

*Gen. 4.*

*Questionis 3  
solutio.*

*Hyperbole.*